SS 2024 Lat. Lektüre: Plautus, *Captivi* TEXT 12 (Karanasiou)

https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml

E. Cedo manum. **H.** Manum? **E.** Manum, inquam, cedo tuam
actutum. **HEG.** Tene.
E. Gaude. **H.** Quid ego gaudeam? **E.** Quia ego impero, age gaude modo.
HEG. Pol maerores mi antevortunt gaudiis. **ERG.** [Noli irascier]
iam ego ex corpore exigam omnis maculas maerorum tibi.
gaude audacter. **HEG.** Gaudeo, etsi nil scio quod gaudeam.
ERG. Bene facis. Iube—**HEG.** Quid iubeam? **E.** Ignem ingentem fieri.
H. Ignem ingentem? **E.** Ita dico, magnus ut sit. **H.** Quid? me, volturi,
tuan causa aedis incensurum censes? **ERG.** Noli irascier.
iuben an non iubes astitui aulas, patinas elui,
~ laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
alium pisces praestinatum abire? **HEG.** Hic vigilans somniat.
ERG. Alium porcinam atque agninam et pullos gallinaceos?
HEG. Scis bene esse, si sit unde. **ERG.** ~ Pernam atque
ophthalmiam,
horaeum, scombrum et trygonum et cetum, et mollem caseum?
HEG. Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia
hic apud me, Ergasile. **ERG.** Mean me causa hoc censes dicere?
HEG. Nec nihil hodie nec multo plus tu hic edes, ne frustra sis.
proin tu tui cottidiani victi ventrem ad me afferas.
ERG. Quin ita faciam, ut <tu>te cupias facere sumptum, etsi ego vetem.
H. Egone? **E.** Tune. **H.** Tum tu mi igitur erus es. **E.** Immo benevolens.
vin te faciam fortunatum? **HEG.** Malim quam miserum quidem.